CONCIO

AD CLERUM

PROVINCIÆ CANTUARIENSIS

IN

SYNODO PROVINCIALI

AD DIVI PAULI.

IV. KAL. OCTOB. A. D. M.DCC.XCVI.

HABITA AB

HOUSTONNE RADCLIFFE, S.T.P.

CANONICO CANTUARIENSI

ET ARCHIEP. CANT. NUPER A SACRIS DOMESTICIS.

JUSSU REVERENDISSIMI.

OXONII:

VENEUNT APUD J. FLETCHER; F. ET C. RIVINGTON, LONDINI;

ET T. DEIGHTON, CANTABRIGIÆ.

M.DCC.XCVII.

IMPRIMATUR,

SCROPE BERDMORE,

VICE-CAN. OXON.

COLL. MERT.
Feb. 27. 1797.

Heb. xiii. 17.

Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες· ἵνα μετὰ χαρᾶς τοῦτο ποιῶσι, καὶ μὴ στενάζοντες· ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο.

OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS, ET SUBJACETE EIS. IPSI ENIM PERVIGILANT QUASI RATIONEM PRO ANIMABUS VESTRIS REDDITURI: UT CUM GAUDIO HOC FACIANT, ET NON GEMENTES: HOC ENIM NON EXPEDIT VOBIS.

HOC Apoſtoli conſilium, ſemper utile, hiſce temporibus præcipue opportunum eſt; in quibus leves homines, qui Philoſophos ſe profitentur, vulgus ubique docent, id licere ſingulis quod quiſque velit, hortanturque ſimul, ut nihil agant niſi *quod ſibi rectum videtur* [a]; ut regibus, quos tyrannos nuncupant, et magiſtratui, imo et legibus, ſi ſibi ingratæ ſint, adverſentur; et ut imperium illis, qui ſummo in imperio ſunt, ſi neceſſe videatur majeſtati, ita enim loquuntur, populi, a quo acceperunt, et cui ratio ejus reddenda eſt, abrogent. Quæ ſi illis concedantur, nulla adhibita interpretatione, nullis exceptionibus allatis, de imperio humano illico actum eſt.

Quale enim ibi erit imperium, ubi omnes omnibus imperent, nemo cuiquam pareat? Quis autem onus aliquod ingratum, laboriosum,

[a] Deut. xii. 8.

aut periculoſum ſuſtinebit, quod, ſi libeat, detrectare poſſit? Et quomodo non poſſint detractare, ſi ea ſint, quæ paſſim prædicantur, jura hominum, naturæ ſuæ ita convenientia, ut nec obſoleſcere nec labefactari queant; qualia ſunt, omnes homines æquales ac pares eſſe, hominem homini dignitate non præſtare, niſi ſuis ipſius meritis parta, nobilem ignobili; quemque ſui eſſe arbitrii, nec cuiquam obſequio devinctum, nec, niſi ipſe conſenſerit, cujuſquam dominationi obnoxium; et hujuſmodi plura. Quæ jura, ſi hominibus quidem, quos ſeorſum degentes fingimus, nulla officiorum neceſſitudine inter ſe conjunctos, ſatis apte tribuantur; à civibus tamen, qui ope, quam aliis præbeant, ab aliis viciſſim indigent, et mutua munia obeunt, mutuam navant operam, ut communi utilitati inſerviant, exulant omnino et repudiantur.

Quippe varii ſunt civium ordines, quorum alii cæteris præſunt, alii officia ſibi commiſſa exequuntur, majora alii, alii minora; alii domi res gerunt, alii foris; alii negotiis ſenatoriis, alii judicialibus, alii bellicis præficiuntur; et ſub his alii, gradu quiſque ſuo, minoribus negotiis expediendis adhibentur; hi conſilio et juſſu, illi obedientia et manu militant; hi honoribus et dignitate pollent, illi divitiis, iſti neutro, potentium et divitum clientes; hi claris parentibus et illuſtri loco oriundi, illi humilibus et obſcuro; hic otio diffluit, et copia rerum abundat, non modo quæ ſibi ſufficiant, ſed quas aliis etiam impertiat, ille egeſtate fere premitur, et miſerandam ægre ducit vitam; alii ingenio, alii labore victum quærunt. Neque hæc rerum diſcrimina et varia hominum conditio vi vel fraude fiunt, violatis aut naturæ aut civium juribus, ſed ex ipſis multorum hominum in unum fœdus coëuntium, et inter ſe quotidiana conſuetudine convenientium, moribus, ex ipſa itaque humanæ ſocietatis compage, oriuntur. Si tollantur hæc diſcrimina, ſi forte perverſi homines, otio et literis abutentes, et aliorum potentiam

invidioſe criminantes, obtineant, ut unus ſit ordo civium et æqualis conditio, ſolvitur compages et ruit ſocietas. Tota ſit turba et diſſidium; paſſimque graſſantur cædes et rapinæ.

Malitiæ horum hominum occurrunt ſacra Dei oracula, quæ monent ut *timeamus Dominum et Regem, et cum detractoribus non commiſceamur* [b]; ut τὰ τῆς εἰρήνης διώκωμεν [c]. Ab iiſdem porro præcipitur, πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω—Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν· οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται.—Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν.—Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς· τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμήν [d]. Et in verſiculo, de quo concionari aggreſſus ſum, πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε.

De voce ἡγουμένοις non opus eſt ut multa loquar. Propriè et ſæpe ἡγούμενος eſt dux viæ; tranſlata ſignificatione dux ſive exercitûs, ſive gentis alicujus, præſertim in Græca ſacrorum librorum interpretatione, quæ dicitur Septuagintaviralis [e], præſes, præfectus, præpoſitus; deinde eminens, eximius, præcellens. Ἡγούμενοι dicuntur plerumque qui præſunt rebus civilibus; aliquando in utriuſque maxime divini fœderis codicibus, qui promiſcue aut civilibus, aut ſacris, aut utriſque præſunt, nullo ſatis certo addito diſcriminis indicio; alibi, ut in hoc demum de quo nunc agimus loco, qui ſacris tantùm; quia illi ſunt qui ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες.

[b] Prov. xxiv. 21.

[c] Rom. xiv. 19.

[d] Rom. xiii. 1, 2, 5, 7.

[e] 2 Par. xviii. 16. Mich. vii. 5. Ezech. xliii. 7, 9. Vide Tromm. Concord. in voce et in nomine ἡγεμών.

Hi et aliis alibi ornantur nominibus, quæ aut generatim omnibus conveniunt, ut προεξῶτες [f], προϊσάμενοι [g], κυβερνήσεις [h], ὑπηρέται Χριστοῦ, οἰκονόμοι μυστηρίων Θεοῦ [i], (quibus dignitas cum imperio ſignificatur) ſive κατηχοῦντες τὸν λόγον [k], νουθετοῦντες [l], λειτουργοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἱερουργοῦντες [m], διδάσκοντες [n], ποιμένες [o], (nam qui doctrina paſcunt, viamque monſtrando ducunt, et ipſi ſunt ἡγούμενοι) aut ſpeciatim quibuſdam, cuique pro dignitate officii ſui, ut primum, quamdiu vixerunt quibus ab initio mandatum eſt Evangelium, ἀποστόλοι [p], deinde qui rite inſtituti in locum eorum venerunt ἐπισκόποι [q], his proximi πρεσβυτέροι [r], et demum διακόνοι [s], qui etiam ſunt ἡγούμενοι, in rebus ſacris duces, non ſummi, ſed duces tamen.

Hiſce omnibus vult Apoſtolus ut obſequamur; ut non modo ab injuria et convitiis abſtineamus; non modo munera ſua obeuntibus illis non moleſti ſimus, aut moram afferamus; non modo ut comiter et urbane eos excipiamus; ſed ut præceptis et monitis eorum aures noſtræ pateant; ut dociles ſimus; ut τὸν λόγον τῆς πίστεως καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας [t] enunciantibus facilem, ſed ſanæ mentis, aſſenſum præbeamus; ut libenter auctoritati eorum cedamus, ſimilemque illis atque aliis, qui nobis in rebus domeſticis et politicis præſunt, obſervantiam præſtemus. Quaſi enim non ſatis eſſet dicere πείθεσθε, *obedite*, ſubjicit καὶ ὑπείκετε, *et cedite*, morem illis gerite, et cum illis ſubmiſſe agite; ut qualem velit obedientiam oſtendat.

[f] 1 Tim. v. 17.
[g] Rom. xii. 8. 1 Theſſ. v. 12.
[h] 1 Cor. xii. 28.
[i] Act. xxvi. 16. 1 Cor. iv. 1.
[k] Gal. vi. 6.
[l] Col. i. 28.
[m] Rom. xv. 16.
[n] Rom. xii. 7.
[o] Eph. iv. 11.
[p] Luke vi. 13.
[q] Act. xx. 28.
[r] Act. xiv. 23.
[s] Phil. i. 1.
[t] 1 Tim. iv. 6.

Quid

Quid enim? Suam habet Eccleſia politiam, ei æque ac Reipublicæ neceſſariam; ſuos etiam magiſtratus, et diverſos ſuorum inter ſe ordines, quorum alii divinitus ab initiis ejus deſignati ſunt, alii poſtea ab hominibus, prout uſus et tempora poſtulârunt, ad decus et amplitudinem, pacemque et incolumitatem ejus, interiorem ſimul externamque, firmandam conſtituti.

Duplex autem eſt, ſeu potius duplici ſub imagine conſpicitur Eccleſia Chriſtiana, ſive univerſa multitudo hominum Chriſto fidentium. Quidam enim tales revera ſunt quales ſe profitentur. Hi ſimplici et ſincera mente fidem, quam amplexi ſunt, colunt diligentiſſime; totis viribus nituntur, ut ad præcepta evangelica mores ſuos conforment; pietate erga Deum, in promiſſis ejus ſpe et fiducia; benevolentia erga homines ſibi etiam infeſtiſſimos; animi conſtantia, doloris et injuriarum patientia; totius denique vitæ integritate, Chriſtum quantum poſſunt imitantur, omniaque propter Chriſtum et per Chriſtum agunt. Quinam vero ſint illi, Deus quidem novit, ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας;[v] nobis autem, qui ſpecie recti et virtutis umbra ſæpius decipimur, non ſatis liquet. Hæc igitur Eccleſiæ pars inviſibilis vocatur, quia noſtris oculis non cernitur.

Alia vocatur viſibilis; eſtque omnium βαπτιζομένων εἰς τὸ ὄνομα τῦ Κυρίυ Ιησῦ[u]; Chriſto ſe ſive ex animo ſive aliorum ſolummodo more et exemplo addicentium, et ad omnia ejus dogmata rite intellecta verbo tenus conſentientium, et contraria reſpuentium, multitudo; miſta turba piorum et impiorum, proborum et improborum; tam conſtanti ac ſana fide, quam levi ac fallaci credentium; ſerio pœnitentium, et perdite ſceleratorum: qui omnes quamdiu vivunt, et le-

[v] Rom. viii. 27. [u] Act. xix. 5.

gitima

gitima ſententia non prohibentur ſub iiſdem Evangelii legibus degunt, eadem ſacra ſollennia iiſdem ritibus, pro locorum tamen, temporum, et opinionum varietate quodammodo variis, celebrant; eadem appellatione Chriſtiani nuncupantur; eandem una Chriſti Eccleſiam in terris efficiunt.

De priore hic non eſt dicendi locus. Ei ſolus ἡγούμενος eſt Chriſtus, reliqui omnes fratres et pares [w]. Πάντες γὰρ εἷς ἐστὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ [x]. Ibi οὐκ ἔνι Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος· περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία· Βάρβαρος, Σκύθης· δοῦλος, ἐλεύθερος· ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός [y]. Ea ſcilicet hæc eſt Eccleſia, quam intimo magis affectu, utpote potiori jure, ὁ Χριστὸς ἠγάπησε, καὶ ἑαυτὸν, non benigniori quidem conſilio, ſed eventu felici παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς· ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι· ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπίλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος [z]. Ea eſt de qua dicit, ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου [a]· et μὴ κληθῆτε ῥαββεί [b]. In ea una eſt hominum deſcriptio, qui legibus divinis lubenter et ex animo obediunt, et amore non timore aguntur; ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει αὐτούς [c]; nec alii aliis præſtant, niſi fide et integritate vitæ ſanctiori: ideoque alio non egent regimine aut imperio, nec agnoſcunt quidem, niſi quatenus aliis admiſti alteram, quæ dicitur viſibilis, conſtituunt Eccleſiam; ad quam nunc tranſit oratio.

Hanc reſpicit Apoſtolus: in qua ſunt diverſi ordines, et diverſa ordinum munia. Quidam aliis præficiuntur, ut agmina ordinent, et ducant: alii, abſit verbo invidia, gregarii Chriſti milites, agmina complent, pariterque nullo inter ſe diſcrimine incedunt. Quidam,

[w] Matt. xxiii. 8.
[x] Gal. iii. 28.
[y] Coloſſ. iii. 11.
[z] Eph. v. 26, 27.
[a] Johan. xviii. 36.
[b] Matt. xxiii. 8.
[c] 2 Cor. v. 14.

ut

ut plane, et quemadmodum res ſe habet, dicam, loco eminentiori conſtituuntur, ut alios inſtruant, hortentur, increpent; reliqui, qui pars ſunt longe maxima, communi Diſcipulorum Chriſti nomine appellantur, et quantumvis aliter genere, opibus, dignitate in republica differant, nihilo hac ex parte inter ſe diſcrepant, nulla in Eccleſia (de interna ejus conſtitutione loquor) auctoritate pollent. Chriſtus quidem ipſe *duodecim elegit Apoſtolos*[d]; et illi alios, ut iis qui *crederent veritati*[e] præeſſent, tam in miniſterio verbi, quam in moribus ad diſciplinam Evangelicam informandis.

His, in antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, quum opus ei eſſet ut uberiori Divini Spiritus afflatu ſuſtentaretur, impertita eſt in improbos animadvertendi potentia, (præter eam, quæ apud poſteros manet, et omnibus temporibus communis eſt, ut moneant, ſuadeant, corripiant, et, ſi neceſſe ſit, a ſe arceant et ejiciant; alia) iſtis ſeculis propria et peculiaris, qua imperium habuerunt in corpora delinquentium, ut vi miranda ac plane divina morbis atque etiam morti addicerent. Sic Elymæ Saulus ἀτενίσας εἰς αὐτὸν εἶπεν—ἰδὺ, χεὶρ τῦ Κυρίυ ἐπί σε· καὶ ἔσῃ τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον ἄχρι καιρῦ. Παραχρῆμα δὲ ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἀχλὺς καὶ σκότος· καὶ περιάγων ἐζήτει χειραγωγύς[f]. Sic Ananias, et eodem fere tempore Sapphira, uxor ejus, objurgante Petro, ἔπεσαν παρὰ τὺς πόδας αὐτῦ, καὶ ἐξέψυξαν[g]. Sed quum jam ὕτω κατὰ κράτος ὁ λόγος τῦ Κυρίυ ἠυξανε καὶ ἴσχυεν[h], ut tali auxilio non egeret, ſublata eſt ſingularis illa potentia non amplius ad ſalutem Eccleſiæ neceſſaria, et ea relicta eſt auctoritas perpetuo duratura, ſine qua manca eſſet ejus diſciplina. Hanc dixi in Eccleſia adhuc manere; et omnis quidem humanæ ſocietatis commune quaſi vinculum eſt, ut jus in ſuos habeat

[d] Luc. vi. 13.
[e] 2 Theſſ. ii. 12.
[f] Act. xiii. 9, 11.
[g] Act. v. 10.
[h] Act. xix. 20.

 contumaces

contumaces excludendi, utque legibus quibuſdam contineatur: abſque lege enim non eſſet ſocietas, ſed congregata hominum multitudo; inordinata et incompoſita turba.

Præcipua autem Eccleſiæ auctoritas eſt in animam; ad corpus et res externas raro, et caſu tantum, ut animæ medeatur, advertit; nec *arma* ejus *carnalia* ſunt, *ſed potentia Deo* [j]; nempe, Spiritu Dei miniſtrata ſpiritum hominis penetrant, eumque ſubigunt, ut αἰχμαλωτίζηται πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ [k]. Non leve igitur eſt, quamvis tardum aliquando ſit et minus conſpicuum, ſupplicium, nec contemnenda auctoritas; qua quidem animi conſcientiam obſtringi, ſatis liquet, cum ex aliis librorum ſacrorum locis [l], tum ex his Apoſtoli verbis, πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες.

Duplici autem argumento, et utroque graviſſimo, Spiritus ſanctus omnes ad obediendum ſive Eccleſiæ ſive Reipublicæ præfectis provocat: nam bene merentibus præmia proponit, vitam cœleſtem, et gaudia in conſpectu Dei et πνευμάτων δικαίων τετελειωμένων [m] nunquam defutura; contumacibus vero, ſeditioſis et male moratis iram Dei minatur, et pœnas poſt mortem æternas. Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, verba ſunt Chriſti ad Apoſtolos, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με [n]. Ὁ ἀκούων ὑμῶν, ἐμοῦ ἀκούει· καὶ ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ [o]. Et ὁ ἀθετῶν, inquit Paulus, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεὸν, τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ἡμᾶς [p]; quique, inquit alibi idem

[j] 2 Cor. x. 4.
[k] 2 Cor. x. 5.
[l] 1 Theſſ. v. 12, 13. Heb. xiii. 7. 1 Tim. v. 17. 1 Cor. xvi. 16.
[m] Heb. xii. 23.
[n] Matt. x. 40.
[o] Luc. x. 16.
[p] 1 Theſſ. iv. 8.

Apoſtolus,

Apoſtolus, ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ· τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον· τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, θυμὸς καὶ ὀργή [q]. Hæc ſunt arma Eccleſiæ quæ vocantur *ſpiritualia*, non inſignia illa pro temporis neceſſitate ſuppeditata, ſed in perpetuum ei conceſſa, quibus audaciam reprimit impiorum et ſimulatorum ἔχόντων μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένων [r], ſuamque auctoritatem vindicat.

Si quando alia, quæ *carnalia* [s] vocat Apoſtolus, induat, ea aliunde habet; non a ſe, a perpetuis ipſius inquam Chriſti et Apoſtolorum ejus inſtitutis (de aliis cito deſituris quæ non hujus ſunt loci taceo) accepta; ſed a civili imperio, ut opem ei ferat, donata. His vero armis legitime inſtructa, quo minus legitime utatur, quid eſt quod impediat? Sontes enim pœnas in hac vita luere, ut aliis exemplo ſint; ut ipſi a peccando abſtineant, et ad pœnitentiam adigantur, adeoque gratiam Dei ſibi concilient, cuinam iniquum videatur? Et hoc ab eccleſiaſtica ut fiat poteſtate, ſi juſta cauſſa ſit; ſi rite, et ad præſcriptum legis pœnas irroget; ſi ſimplici et ſincera mente, non libidine, non prava aliqua cupiditate agitata, non ut iracundiæ, invidiæ, ſimultati litet, opus aggrediatur; ſi non ultra modum ſæviat, et intra conſtitutos fines ſe contineat; nec rectæ rationi, nec præceptis Evangelicis, penitus perſpectis, et probe cognitis, contradicit.

Hoc vero in ſuos animadvertendi jus Eccleſiæ præfectis, imo et aliud mercedem laboris exigendi, non modo ad victum et veſtitum ſufficientem, ſed amplam inſuper, et ſuæ in republica conditioni idoneam, impertire civile imperium et poteſt et ſolet. Quid enim cauſæ ſit

[q] Rom. ii. 6, 7, 8. [r] 2 Tim. iii. 5. [s] 2 Cor. x. 4.

cur non id cum Eccleſia communicet, quod cum aliis civibus in urbibus et municipiis degentibus, quoties libuerit, communicat? Nec obſtat quod in Chriſti et Apoſtolorum ævo tale auxilium non ſuppeditârit; quippe tunc temporis Religio Chriſtiana Regibus et Principibus inviſa eſt, ignominiis et injuriis conciſa, graviſſimis denique ſuppliciis, exilio et morte ubique fere gentium multata.

Habet et Eccleſia aliam poteſtatem qua leges ferat de moribus conformandis, et pace ſervanda ordine compoſito in rerum ſuarum adminiſtratione partim a Chriſto et Apoſtolis acceptam, partim ab ipſa ſocietatis cujuſcunque natura et indole, quæ abſque hujuſmodi poteſtate diu conſiſtere non poſſit, derivatam, a legibus tamen civilibus amplificatam quodammodo et confirmatam. Τὰ δὲ λοιπὰ, inquit Paulus ad Corinthios, ὡς ἂν ἔλθω διατάξομαι [t]. Et Chriſtus ipſe in templo τὰ Ἐγκαίνια [v] cum Judæis celebravit, feſtum non a Moſe traditum, ſed quod ipſi inſtituerunt. Veruntamen nihil poteſt Eccleſia auctoritate ſua ſtatuere quod contradicat aut legibus divinis, aut bonis moribus, aut inſtitutis civitatis, in qua ſita eſt ea Eccleſia, ſive Eccleſiæ pars, quæ legem edit; niſi ea inſtituta legibus divinis ſint contraria, et tunc πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις [w]. Eſt enim Eccleſia aut univerſa, quæ continet omnes qui vera in Chriſto fide in unum quaſi corpus coëunt, cujus Chriſtus caput, et diſcipuli ejus membra; aut ejuſdem pars aliqua, quæ agros eoſdem aut finitimos accolit, et eidem imperio civili ſubjicitur.

In univerſa Eccleſia multi ſunt ἡγούμενοι, alii aliis ordine et auctoritate aut inferiores aut pares: nullus autem ſummus, qui in reliquos omnes dominetur, et cui ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ

[t] 1 Cor. xi. 34. [v] Johan. x. 22. [w] Actor. v. 29.

καὶ διὰ τὴν συνείδησιν [w]. Tale quidem imperium ſibi arrogat Romanus Pontifex; ſed jure tueri non poteſt. Nullo enim in Apoſtolorum ævo aut ſeculis proxime inſequentibus exemplo nititur; nullo idoneo ſacrarum literarum confirmatur teſtimonio; nec alio quovis valido argumento comprobatur. Multa vero obſtant. Obſtat ſilentium Scriptorum ſacrorum, Hiſtoriarum veterum et Patrum, qui ejus nullibi mentionem fecerunt: obſtat quod, ſi a Deo ſit profectum, ab Apoſtolis vel ſaltem viris Apoſtolicis non inſtitui non poſſit; ſed inſtitutionis ejus nuſquam veſtigium: obſtat, quod a principio Religionis Chriſtianæ in locis ab invicem longe diſtantibus extiterunt Eccleſiæ, quibus curandis unus præſes vix ſufficeret: obſtat, quod Eccleſias ſui juris, et aliûs cujuſcunque dominatione immunes diu manſiſſe certiſſimis indiciis novimus: obſtat denique, ut alia omittam, quod hæc unius dominatio, cui ſuſtentandæ opus eſt regio et bellico apparatu, auro et armis, veræ naturæ et ſimplici Religionis Chriſtianæ cultui non conveniat, imo obſit, multimodiſque paci, commodis, ſtudiis, utilitatibus hominum publicis et privatis officeret.

Nihil autem, præter ea, quæ ratio et natura docent, Chriſtianorum omnium ubique degentium conſcientiam ſive ad credendum ſive agendum obſtringit, quod non ὑπὸ Πνεύματος ἁγίᾳ φερόμενοι ἐλάλησαν, literiſque et monumentis ſacris mandaverunt οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι [x], aut ab univerſo Cleri concilio, omnium conſenſu ἡγεμένων præcipuorum ſive Epiſcoporum congregato, ratum et ſancitum eſt; quamvis et hi quoque falli poſſunt. Summus eſt quiſque Epiſcopus in provincia ſibi commiſſa: et in omni Eccleſia, quæ ſitu ab aliis diſjuncta, vicinitate, natione, jurium civilium communitate, aut quovis alio pacto ipſa ſibi una ſit, quivis Epiſcopus pro ſuis, aut Synodus

[w] Rom. xiii. 5.

[x] 2 Pet. i. 21.

Epiſcoporum et Cleri pro omnibus ſub ſua ditione, poteſt decernere, ſi leges civiles ſinant aut jubeant, quod ſibi utile videatur, modo Chriſti inſtitutis non palam et aperte repugnet; ut pax ſit, et πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γίνωνται [y].

Hæc docet, et ad hoc exemplar conſtituta eſt Eccleſia Anglicana. "Habet Eccleſia ritus ſive ceremonias ſtatuendi jus, et in fidei con-"troverſiis auctoritatem; quamvis Eccleſiæ non licet quicquam in-"ſtituere, quod verbo Dei ſcripto adverſetur, nec unum ſcripturæ "locum ſic exponere poteſt, ut alteri contradicat. Quare licet Ec-"cleſia ſit divinorum librorum teſtis et conſervatrix, attamen ut ad-"verſus eos nihil decernere, ita præter illos, nihil credendum de ne-"ceſſitate ſalutis debet obtrudere [z]."

Quod ſi quis Eccleſiæ ita conſtitutæ obedire recuſet; ſi auctoritatem ejus deſpicatui habeat, decreta perfringat, et turbas cieat, ſeditioſus eſt, et ſi meritas luat pœnas, habet quod ſibi imputet: ſi vero non modo obedire recuſet, ſed injuria et contumeliis inſequatur, ſi levi aut forte nulla de cauſa ab ea diſſentiat; ſi futiles, inanes, aut porro odioſos ſcrupulos prætexat; ſi fraternam neceſſitudinem cum ea, et communitatem rerum ſacrarum repudiet, et aliis ut ipſi quoque repudient ſummopere ſuadeat, et hortetur; vereor ut a crimine violatæ pacis abſolvatur. Quod quidem quantum ſit a Spiritus Sancti teſtimonio, cum alibi ſæpe, tum in Epiſtolis Pauli ad Corinthios, intelligere poſſumus [a]. Imo et ipſa ratio idem docet; nam ſine pace et concor-

[y] 1 Cor. xiv. 40.

[z] Artic. Relig. 20.

[a] 1 Cor. i. 10—16. et iii. 3—23. et iv. 8. et xi. 18, 19. et xii. 12—27. 2 Cor. x. 1—18. et xi. 3, 5, 13—15, 18—21. et xii. 20. Rom. xv. 5, 6. Phil. ii. 2, 3. et iii. 17, 18, 19. Gal. i. 6, 7, 8, 9. Epheſ. iv. 1—17. 1 Tim. iv. 3, 4. 2 Pet. ii. 1, 2. 1 Joh. ii. 18, 19.

dia,

dia, ut antea dixi, nulla eſt ſtabilis et diuturna ſocietas. Ideo monentur cum prece et obſecratione Epheſii, ut ἀξίως περιπατήσωσι τῆς κλήσεως ἧς ἐκλήθησαν, μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ πραότητος, μετὰ μακροθυμίας, ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ· σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης [b]. Præterea οἱ ἀποδιορίζοντες [c] Chriſto injuriam faciunt; nam lacerant et mutilant Eccleſiam; quæ corpus eſt, cujus ipſe caput, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ [d]. Corpus eſt unum, membra plura, alia aliis loco, honore, officio diverſa, (quorum aliquod abſcindere non licet ſine membri illius interitu, corporiſque totius damno et debilitate) adeo tamen compacta et coagmentata, ut ſingula communi ſaluti et utilitati inſerviant, mutuo ſibi opitulentur, et amice conſpirent ad concordiam inter ſe et concentum, ad decorem et integritatem totius confirmandam. Bene igitur Romanos hortatur Paulus, ut τὰ τῆς εἰρήνης διώκωνται, καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους [e]. Neque alio quidem conſilio Apoſtolus ad Hebræos ſcribens: πείθεσθε, inquit, τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες· ἵνα μετὰ χαρᾶς τοῦτο ποιῶσι, καὶ μὴ στενάζοντες· ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο.

[b] Eph. iv. 1, 2, 3.
[c] Jud. 19.
[d] Coloſ. ii. 19.
[e] Rom. xiv. 19.